

justi, cum sint et ipsi in mundo, non dicuntur mundus? Quia dicit Apostolus, « In carne autem ambulantes non » secundum carnem militamus; conversatio enim nostra » in coelis est¹. » Habitat hic justus carne, sed corde cum Deo est. Et ipse appellatur mundus; si sine causa audit, Sursum cor: si autem est causa quare audit, sursum habitat. « Mortui enim estis, dicit, et vita vestra abscondita » est cum Christo in Deo². » Quorum autem vita hic est, id est, quorum desiderium et amor hic hæret, hic conteritur, hic implicatur, bene dicuntur habitatores mundi. Et bene dicuntur mundus, illi qui habitant mundum: sicut bene dicuntur domus, illi qui habitant domum. Mundus ergo et mundus: « Mundus per eum factus est, » et mundus eum non cognovit. » Ecce mundus factus per Dominum, ecce mundus qui non cognovit Dominum. Lauda tu fabricam, et ama fabricatorem; et noli amare habitare in fabrica, sed habita in fabricatore.

XVI. « Erue me a persequentibus me: quoniam corroborati sunt super me. » Quis dixit, « Corroborati sunt super me? » Corpus Christi clamat, Ecclesiæ vox est, membra Christi clamant: Multum crevit numerus peccatorum. « Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum³. » Erue me a persequentibus me: quoniam corroborati sunt super me. »

XVII. « Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo. » Carcer iste a prioribus varie intellectus est. Et forte ipse est carcer qui scribitur in titulo, « Spelunca. » Titulus enim Psalmi hujus ita se habet: « Intellectus ipsi David, cum esset in spelunca, oratio. » Quæ spelunca, ipse et carcer. Duo quædam intelligenda proposuimus, sed unum cum intellexerimus, utrumque erit. Merita carcerem faciunt. Nam in uno quodam habi-

¹ 2 Cor. i, 3. — ² Coloss. iii, 3. — ³ Matth. xxiv, 12.

taculo, alteri domus est, alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos, etsi in domo sua custodiant, illi qui arctius custodiuntur, in carcere sunt: numquid et illi in carcere esse dicendi sunt? Unum habitaculum est et illi et illi: alteri facit domum libertas, alteri carcerem servitus. Quibusdam ergo visum est, quod spelunca et carcer mundus iste sit: et hoc orat Ecclesia, ut de carcere educatur, id est, de hoc mundo, de sub sole, ubi omnia vanitas. Dicitur enim, « Omnia vanitas, et præsumptio » spiritus in omni opere hominis, quod ipse laborat sub » sole¹. » Ergo extra istum mundum in nescio qua requie pollicetur nobis Deus quod futuri simus: forte ideo de loco isto clamamus, « Educ de carcere animam meam. » Anima nostra per fidem et spem in Christo est, sicut paulo ante dixi: « Vita vestra abscondita est cum Christo in » Deo². » Corpus autem nostrum in isto carcere, in isto mundo. Si diceret, Educ de carcere corpus meum: securi acciperemus carcerem mundum. Fortasse tamen propter aliqua, quæ nos tenent, desideria terrena, contra quæ luctamur et dimicamus, quia, « Video aliam legem in » membris meis repugnantem legi mentis meæ³; » recte dicimus, Educ animam meam de hoc mundo, id est, de laboribus et pressuris hujus sæculi. Non enim caro quam tu fecisti, sed corruptela carnis et pressuræ et tentationes carcer mihi sunt.

XVIII. « Aliqui autem dixerunt carcerem istum et speluncam corpus hoc esse, ut hoc sit, « Educ de carcere » animam meam. » Sed et iste intellectus vacillat aliquantum. Quid enim magnum, » Educ de carcere animam meam, » educ de corpore animam meam? Latronum animæ et sceleratorum nonne exeunt de corpore, et eunt in pejores poenas quam hic pertulerunt? Quid

¹ Eccli. i, 2, etc. — ² Coloss. iii, 3. — ³ Rom. vii, 23.

ergo magnum petitur, « Educ de carcere animam meam : » cum sive sero, sive cito, necesse sit exire? Forte justus dicit, Jam moriar, educ de carcere isto corporis animam meam? Si nimis festinat, non habet charitatem. Desiderare quidem hoc debet et concupiscere, sicut Apostolus ait, « Concupiscentiam habens dissolvi et esse cum Christo, » multo enim magis optimum¹. » Sed ubi est charitas? Ergo sequitur, « Manere in carne, necessarium propter » vos². » De corpore ergo educat Deus, quando voluerit. Posset dici et corpus nostrum carcer, non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pœnale et mortale. Duo enim consideranda sunt in nostro corpore, figmentum Dei, et pœna meriti. Tota ista forma, status, incessus, membra ordinata, sensuum dispositiones, videre, audire, olfacere, gustare, contingere: omnis hæc compago et fabricæ distinctio, non potuit fieri nisi a Deo, qui omnia operatus est, cœlestia, terrestria, summa et ima, visibilia et invisibilia. Quid ergo ibi pœnale nostrum? Quod corruptibilis caro, quod fragilis, quod mortalis, quod indigens: hoc non erit in præmio. Non enim corpus non erit, cum corpus resurgat. Sed quid ibi non erit? Corruptio. Corruptibile enim hoc induet incorruptionem³. Ergo si caro tibi carcer est, non corpus est carcer tuus, sed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonum, quia bonus est: corruptionem intulit justus, quia judex est: illud habes de beneficio, illud habes de supplicio. Hoc ergo forte dixit, « Educ de carcere animam meam, » educ de corruptione animam meam. Si sic intelligamus, non est blasphemia, intellectus constat.

XIX. Ad extremum, fratres, sicut arbitròr, hoc dixit, « Educ de carcere animam meam, » educ ab angustia. Gaudenti enim homini et carcer latus est, et tristi pratum

¹ Philip. 1, 23. — ² Ibid. 24. — ³ 1 Cor. xv, 53.

angustum est. Ergo orat se educi ab angustia. Quamvis enim in spe latitudinem habeat, in re tamen præsentia angustatur. Attende angustias Apostoli: « Non habui requiem spiritui meo, » dixit; « Quia non inveni Titum » fratrem meum¹. » Alio loco: « Quis infirmatur, et ego » non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror²? » Qui ergo et infirmabatur et urebatur, nonne in pœnis et carcere erat? Sed istæ pœnæ ex charitate coronam parturiunt. Unde iterum dicit, « Superest mihi corona justitiæ, » quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex³. » Ad hoc valet, « Educ de carcere animam meam, ut confiteatur nomini tuo. » Jameducta de corruptione, quid habet confiteri? Peccata ibi non sunt, sed laudes sunt. Duobus autem modis confessio intelligitur, et in peccatis nostris, et in laude Dei. In peccatis nostris nota est confessio, et ita nota omni populo, ut quando auditum fuerit nomen confessionis in lectione, sive in laude dicatur, sive de peccatis dicatur, currant pugni ad pectus. Notum est ergo nomen confessionis de peccato: confessionem in laude quæramus. Ubi invenimus? Habes in Scripturis: « Et hæc dicetis in confessione, » Opera Domini universa, quoniam bona valde⁴. » Ergo hic confessio laudis est. Alio loco ipse Dominus dicit, « Confiteor tibi, Pater, Domine, cœli et terræ⁵, Quid confitebatur? numquid peccata? Christi ergo confiteri, erat laudare. Et audi laudem Patris: « Quia abscondisti hæc, » inquit, a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. » Quia ergo post istas corruptionis angustias habitabimus in domo Dei, tota vita nostra non erit nisi laus Dei. Jam sæpe vobis expositum est⁶, quia recedente necessitate omnia negotia necessitatis intercidunt: quoniam

¹ 2 Cor. 11, 13. — ² Id. xi, 29. — ³ 2 Tim. iv, 8. — ⁴ Eccli. xxxix, 20, 21. — ⁵ Matth. xi, 25. — ⁶ Supra in Psal. lxxxiii.